34 . 3 . G . 22

De' Congregationibus
CASVVM CONSCIENTIÆ
A CLERO SARSINATENSI HABENDIS


Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D.

IOANNIS BAPTISTÆ BRASCHI

EPISCOPI SARSINÆ, COMITIS BOBII, &c.

CONSTITVTIO,

Nec non Caſus in eiſdem Congregationibus differendi
Anno Domini 1703.
& ſequenti.



FOROLIVII apud Ioſephum Syluam 1703.
Superiorum licentia.

Digitized by Google

Digitized by Google

64

IOANNES BAPTISTA

DEI, ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPVS SARSINÆ,

COMES BOBII, &c.

Aſſiduam Scientiarum exercitationem cunctis optabilem, nulli non eſſe ſalubrem, experientia rerum Magiſtra teſtatur; Sacerdotibus verò Animarum Rectoribus Sacram Doctrinam omninò neceſſariam eſſe Propheticum denunciat monitum, *Labia* 1. *Sacerdotis cuſtodient Scientiam, & legem requirent ex ore eius, quià Angelus Domini eſt*. Dè Clericorum ergò in Lite is profectu nunquam nimia Epiſcoporum poteſt eſſe ſolertia, dum nunquam nimia Sacerdotum poteſt eſſe peritia, dicente Chriſto ad Petrum. *Duc* 2. *in altum*, ideſt in profundum 3. Diſputationum. Hinc Eccleſiaſticos Viros crebrò ſimul congregari, ac vnà de Theologiæ Moralis Caſibus differere, atque agitare ab Eccleſià præceptum eſſe comperimus, eo dirigente, qui 4. *mundum tradidit diſputationi*. Sacrorum etenim 5. Conciliorum Decretis, quibus Diœceſis Noſtræ Synodalia 6. Statuta reſpondent, iubetur Parochos, & Confeſſarios, alioſque Clericos Congregationibus ab Antiſtite deſignatis adeſſe, vt mutuis diſceptantium colloquijs,

1. *Malach.* 2. 6.
2. *Luc.* 5. 4.
3. *S Ambr. lec in Luc.* 5. *prop fin Petr. Bleſſ ep.* 23.
4. *Eccl.* 3. 11.
5. *Conc. Auenion. tit de Sacr pœnit. Conc Aquenſ. tit de Vicar. Foran. Conc. & Act Med. l.* 3. *t* 1 *c.* 23.
6 *Synod Sarſ. an.* 1687. *c.* 9.

7. *Prou* 1. 5. quiſs, & *Sapientes* 7. *Sapientiores ſiant*, & cæ-
8. *Epheſ.* 5. teri, *non quaſi* 8. *inſipientes*, *ſed vt ſapientes*,
16. *redimentes tempus* habeant vndè diſcant ſi neſciunt.
Has autem exercitationes cum hucuſque in Diœ-
ceſi Noſtrà omiſſas eſſe inuenerimus, muneris eſ-
ſe Noſtri cenſemus nè diutiùs omitantur ſatagere.
Ad ſtudioſiores itaque pariter fouendos, & exci-
tandos inertes, per hanc Iuſſionis Noſtræ pagi-
9 *Conc Auenion. loc. cit.* nam ſtrictè precipimus, & mandamus omnibus 9.
Parochis, Rectoribus Animarum, Capellanis, &
Confeſſarijs Ciuitatis Noſtræ Sarſinatenſis, ac Su-
10 *Synod Sarſin. loc cit.* burbicarij Plebanatus, vt ad Congregationem
Theologiæ Moralis, in Epiſcopio 10. Noſtro,
Nobis adſtantibus, habendam, conueniant; vbi
11. *Conc & Act Med l. 2. ſ. 2. c. 17.* præmiſsà 11. Oratione, ſeruatæque promotio-
nis eorum ordine ſedentes, ac lecto per Secre-
tarium Congregationis Caſu diſputando, ad illum
12. *Galat*, 5. gradatim reſpondeant, differantq; *non inanis* 12.
26 *gloriæ cupiditate*, *inuicem prouocantes*, *inuicem in-*
13 *Rom*, 15. *uidentes*; *ſed idipſum* 13 *ſapientes in alterutrum*
16. *ſecundum Ieſum Chriſtum*, donec auditâ vberiori
Canonici Theologi Cathedralis Noſtræ reſolutione,
ac in eiuſdem manu relictâ ipſorum reſponſione, ni-
tido folio ſub Caſu inſcriptâ, rationibuſque, ac
Doctorum auctoritate ſuffultâ, poſt gratiarum
actionem, recedendum eſſe cognoſcant: Cui qui-
14. *Sac. Cong Conc.* 11. *Iulij* 1620. dem Congregationi Canonicos 14. quoq; Ca-
thedralis, Manſionarios; alioſque ſimplices Sacer-
dotes, qui Confeſſarij munere non funguntur in-
tereſſe monemus. Parochos autem, & Confeſſa-
15 *Conc & Act Mediol l. 3 t 1. c 2 1. Synod. Sarſ c. 29.* rios rurales ad eorum Archipresbyteralem 15.
Ædem congregari, vt ſuprà præcipimus, vbi
eadem Oratione præmiſsà, nec non ſeruato aſ-
ſumptionis eorum gradu ſedentes, ad Caſum ab

Ar-

Archipreſbytero lectum , ordinatim reſpondeant,
de eoque differant , *cum omni* 16. *humilitate* , 16. *Epheſ.* 4.
& manſuetudine , cum patientiâ , ſupportantes inuicem in charitate , ac tandem reſponſionem ſuam
eidem exhibeant Archipreſbytero, qui folia ſimul
collecta , in vnum 17. Codicem ſuo tempore 17 *Conc Mediol. loc. cit.*
colliganda , quam primum ad Cathedralis Theologum , vnà cum Indice eorum , qui Congreſſui
defuerint , tranſmittat, vt *ex fructibus* 18. *eo-* 18. *Matth.* 7. 20
rum cognoſcamus eos . Clericos 19. etiam , de- 19 *Cõc Med.*
cimum ſextum ætatis annum excedentes , ad ean- *vbi ſuprà.*
dem Congregationem conuenire iubemus, *bonum*
20. *eſt enim Viro , cùm portauerit iugum ab ado-* 20. *Thren.* 3.
leſcentiâ ſuâ , Viro præſertim Eccleſiaſtico , cui, 27.
& lucrum eſt , & præconium dicere de ſe ipſo
Domine 21. *docuiſti me à Iuuentute meâ, & vſq;* 21. *Pſal.* 70. 18.
in ſenectam , & ſenium Deus ne derelinquas me.
Porrò *verba*, 22. *quæ loquimur, Spiritus, & vi-* 22. *Io:* 6. 64.
ta ſunt ; *Deus* 23. *etenim Scientiarum Dominus*, 23. 1. *Reg.* 2. 3.
cuius eſt ad Populos fauſta promiſſio; *Dabo* 24. 24. *Ierem.* 3.
vobis Paſtores iuxta cor meum , vt paſcant vos 15.
Scientiâ , & Doctrinâ , detrimenta minatur cùm
dicit , *Dabo te* 25. *in manibus hominum inſi* 25. *Ezech.* 21.
pientium: Sed & Sacerdotibus exitia prænunciat 31.
dicens; *Quia tu* 26. *Scientiam repuliſti, repellam* 26. *Oſe.* 4. 6.
te ne Sacerdotio fungaris mihi ; Non tam itaque
Ouilis , quam Paſtorum curæ Noſtræ commiſſorum fœlicitatem promouemus , dum Eccleſiaſticos ad ſtudia , & ad Sacras Conferentias vrge- 27 *Cõc Auen-*
mus, quas quidem , licet ſemel , imò & bis 27. *tit de Sacr.*
in hebdomadà peragi Canonum auctoritate ſta- *Pœnit.*
tuatur . Nos tamen omnium commoditatem itineris prolixitate , Diœceſiſque aſperitate metientes , nec non Congregationum raritatem Quæſi-

torum numeroſitate ſupplentes, ſemel in Menſe
28 *Conc & Act. Med. l. 3. p. 1. c. 22.* habendas eſſe decernimus; & ne occaſionali 28.
Feſtorum, Funerum, aut Officiorum, agendorum congreſſui miſceantur, vel improbandâ, quod
abſit, comeſſationum corruptelâ fœdentur, feriâ
ſextâ poſt ſecundam Dominicam cuiuſcunque
Menſis celebrari omninò mandamus. Vbi verò
Menſibus Decembris, Ianuarij, atque Februarij
niuium, aut pluuiarum exuberantia ne Sacerdotes congregari poſſint obſiſtet, omiſſas Congregationes ad ſubſequentium menſium ferias ſextas
29. *Conc. & Act Med. l. 3. p. 17. c. 55.* differri 29. poſſe indulgemus. Præcipimus idcircò omnibus, & ſingulis Parochis, Capellanis,
Confeſſarijs, atque Clericis nè Congregationibus,
vt ſuprà celebrandis, deſint, alias vnius aurei mul-
30 *Conc & Act Mediol l. 3. tit 1 c. 23. Synod Sarſ c. 29.* ctâ 30. qualibet vice ſine dilatione plectentur.
Sedulis verò beneuolentiam Noſtram, & vacantium reſpectiuè Præbendarum collationem hac
pollicitatione ſpondemus. *Venite* 31. *ad me*
31. *Matth. 11. 28.* *omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*. Ergò
quæ 32. *ſeminauerit homo, hæc & metet*: iuxtà
32. *Galat. 6. 7.* operantis, operiſque meritum à nobis, iuſtitiâ
depoſcente, deſides pœnam, habebunt præmia
ſolertes.

Datum ex Epiſcopio Noſtro Sarſinæ Kalendis
Iunij M.DCC.III.

Ioannes Baptiſta Epiſcopus Sarſinæ.

Franciſcus Antonius Spezza
Canc. Epiſc.

MEN-

MENSE IVLIO 1703.

AScanius habens Filium Clericum renuit ei aſſignare Patrimonium, vt poſſit ad Sacros Ordines promoueri: Mortuà verò proprià Vxore, ipſe Aſcanius Sacerdotium accipit, & plura prędia ſibi aſſignat in patrimonium pinguiſſimum; quo ſit vt publicas collectas euitet, quas nec adepto Beneficio ſoluit: Mutato deindè propoſito, aſſignat in patrimonium Filio quædam bona, quæ cùm ſint valoris ducentorum aureorum, quia tamen pro patrimonio aſſignantur, Syluerius, & alij teſtes, accepto Iuramento, æſtimant eſſe valoris quattuorcentum, quod totum ipſe Syluerius Confeſſario pandit; immo & confitetur ſe pluries idem feciſſe in æſtimatione bonorum Dotalium, quare Confeſſarius eum non vult abſoluere, niſi reſtitutione factâ: Filius intereà Aſcanij promotus. Patre mortuo, obtinet Beneficium à Patre anteà poſſeſſum.

Quæritur primò An Aſcanius peccauerit renuens aſſignare patrimonium Filio.

Secundò An peccauerit ſibi aſſignans pinguiſſimum Patrimonium, vt in caſu.

Tertiò An, quantum, & cui teneatur reſtituere, tàm antè, quàm poſt Beneficium adeptum.

Quartò An Syluerius, & Socij peccent æſtimando maiori pretio, vt in caſu: An ſint periuri, & incurrerint Caſum reſeruatum.

Quintò An Filius Aſcanij licitè poſſit Ordines ſumere cum tali Patrimonio, & ſit ſuſpenſus.

Sextò An Confeſſarius licitè deneget abſolutionem Syluerio.

Septimò An Syluerius, & alij teneantur ad reſtitutionem Filio Aſcanij, & Sponſis ob excedentem æſtimationem bonorum.

Octauò An Filius Aſcanij licitè poſſit obtinere Beneficium à Patre anteà poſſeſſum.

MENSE AVGVSTO

BRitius Sacerdos audiens peccatum carnale puellæ in Confeſſione, iudicanſque illam peccaſſe cum Cineo, (cum verum non ſit) monet eam, vt euitet amicitiam Cinei; ſubdens, illam eſſe pulchram, & amabilem, ideòque dignam meliori Amante, & promittens ſe velle illi dare Iuuenem diuitem, & pulchram (intelligens ſe ipſum) Ei autem puellæ renuenti promittere abſtinere ab amicitia Cinei denegat abſolutionem. Sequenti die domum puellæ adit, & illam ſecum ſedentem, & de diuerſis loquentem à peccatis heſternà die confeſſis abſoluit, mox ad peccatum carnale illam tentat, quæ cùm reſiſtat, Britius ad tuendum proprium honorem, excitat clamorem, dicens illam eſſe meretricem ſibi certò notam, & ab illa fuiſſe tentatum: His auditis Raymundus, qui cum Puella contraxerat Sponſalia, non vult amplius illam ducere, ipſa verò coram Iudice inſtat deſponſari à Raymundo.

Quæritur primò An Britius peccauerit mortaliter peccato iudicij temerarij.

Secundò An dicens puellæ illam eſſe pulchram, & alia, vt in caſu, incurrerit pœnas contrà ſollicitantes, & quænam ſint iſtæ pœnæ.

Tertiò An Britius peccauerit non abſoluendo puellam renuentem vitare amicitiam Cinei.

Quartò An puella teneatur denunciare Britium ad Sanctum Officium.

Quintò An valida fuerit abſolutio collata puellæ ſequenti die, vt in caſu.

Sextò An Britius, ad tuendum proprium honorem, potuerit fin-

ſingere ſe tentatum à puella, vel ſaltem exaggerare inhoneſtatem puellæ ſibi notam.

Septimò An, & qualiter teneatur prodere ſuam infamiam, ſe retractando de primo dicto, quod puella ſit Meretrix, & de ſecundo dicto, quod fuerit ab ea tentatus; teneatur quoq; reſtituere damnum puellæ, & Raymundo, & an Raymundus licitè cogi poſſit à Iudice ad ducendam puellam.

Octauò An, & quoties in caſu, Britius vſus ſit ſcientia Confeſſionis, & fregerit ſigillum; & ſummatim quot peccata comiſerit in toto caſu.

MENSE SEPTEMBRI

Claudius tuſſi laborans, Medico approbante, Quadrageſimali tempore comedit carnes; ſed Parocho reclamante, licentiam frangendi Quadrageſimam obtinet ab Epiſcopo; quà fretus nedum aſſas, & elixas carnes comedit, ſed & petaſonem, lucanicam, aliaque omnis generis pulmenta; immo & nunquam ieiunat: Verum remorſu Conſcientiæ tortus, quinquaginta Miſſas dicendas in Eccleſia Sancti Franciſci cum eleemoſyna trium iuliorum prò qualibet Miſſa dat Meio Presbytero, quem ſcit habere aliam obligationem quotidianam perſonalem celebrandi. Meius verò Miſſas illas dat celebrandas Hectori Presbytero cum eleemoſyna vnius Iulij pro Miſſa, & quidem Hector eas celebrat in Eccleſia S. Anaſtaſij. Meius interim contractà ægritudine triginta dierum ex fornicatione, omittit Miſſas quotidianæ obligationis, quam habet, omniaque pandens Confeſſario, hic abſolutionem denegat, niſi Miſſas prætermiſſas ſupplere promittat.

Quæritur primò An Medicus peccet conſulendo, vel approbando fractionem Quadrageſimæ, vt in caſu.

Secundò An licentia Epiſcopi ſaluet eos, qui verè iuſtam cau-

cauſam non habent.

Tertiò An Claudius peccet comedendo petaſonem, lucanicam &c.

Quartò An peccet nunquam ieiunando, vigore dictæ licentiæ.

Quintò An Meius potuerit ſibi retinere partem eleemoſynæ Miſſarum.

Sextò An Hector ſatisfecerit intentioni Claudij, & teneatur Miſſas replicare in Eccleſia S. Franciſci.

Septimò An Meius teneatur ſupplere Miſſas omiſſas in dicta infirmitate.

Octauò An Confeſſarius peccet negando abſolutionem Meio.

MENSE OCTOBRI

DArius publicus latro poſt plures Mercatores occiſos; ac bonis ſpoliatos, tempore Paſchatis accedit ad ſimplicem Sacerdotem, & ei confitetur de ſolis venialibus; Mox adit Confeſſarium approbatum, & confitetur de ſolis mortalibus; deindè vadit ad Parochum ſuum in Eccleſia, & publicè petit Comunionem. Succeſſiuè Bertam puellam ducens in Vxorem, eam dotat de rebus, vt ſuprà furto ablatis, quarum non amplius recordatur quis ſit Dominus, Berta verò, mortuo Dario, Dotem ipſam proprio Fratri per Teſtamentum relinquit, Confeſſario ad id ipſam ſuadente.

Quæritur primò An prima Confeſſio fuerit valida, & licita tàm ex parte Miniſtri, quàm ex parte pœnitentis.

Secundò An qui habet mortalia licitè confiteatur de ſolis venialibus.

Tertiò An ſecunda Confeſſio fuerit valida, & licita.

Quartò An Darius ſatisfecerit præcepto annuæ Confeſſionis,

Quin-

Digitized by Google

Quintò An Parochus licitè potuerit miniſtrare Euchariſtiam Dario.

Sextò an Darius poſſit de dictis rebus, tutà conſcientià dotare Bertam.

Septimò An Confeſſarius peccauerit, & teneatur ad reſtitutionem ob conſilium Bertæ datum.

Octauò An Frater Bertæ poſſit ſibi retinere Dotem Sororis.

MENSE NOVEMBRI

Egeſippus Clericus, notoriè bibax, à Sempronio inuitatus, vadit ad Nuptias temporæ Quadrageſimæ celebratas, vbi lautè epulatus, peccatum occultum Amici detegit; Mox facti pœnitens, ſe ipſum præ diſplicentià percutit, indè vocato Chirurgo, parum diſtanti, vt ab eo curetur cùm Chirurgus ipſe accurrere abnuat, Egeſippus excandeſcens, ſclopum contra Chirurgum exonerat, eumque, ac duos Monachos caſualiter indè tranſeuntes vulnerat.

Quæritur primò An, & quinam peccent ob celebrationem Nuptiarum.

Secundò An Sempronius peccauerit vocando Egeſippum, & hic eundo ad Nuptias.

Tertiò Quis, & qualiter peccauerit ob detectum Amici peccatum.

Quartò An Egeſippus peccauerit ſe ipſum percutiendo, & ſit Excommunicatus.

Quintò An Chirurgus peccauerit renuens curare Egeſippum.

Sextò An Egeſippus vulnerando Chirurgum, & duos Monachos, vnum, vel plura peccata commiſerit.

Septimò An vnam, vel plures Excomunicationes contraxerit.

Octauò An Egeſippus poſſit ad vlteriores Ordines promoueri.

MEN-

MENSE DECEMBRI

FLauius Turca, Chriſtianæ Fidei hoſtis, & plurium Chriſtianorum occiſor, inueniens Eliam Hebreum puerum quinquennem morti proximum petentem Baptiſmum, illum baptizat in nomine Chriſti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, renuentibus tamen Eliæ Parentibus. Superueniente autem Parocho, & hæc audiente, Eliam iterum ſine conditione baptizare ſtatuit, ſed deficiente aquâ, formam proferens proijcit Eliam in Flumen, vbi & moritur. Flauius quoque, de Vita æterna per puerum adeptâ confidens, pariter ſe baptizari petit; quare nè propoſitum mutet, Parochus ſtatim Flauium aquâ putei baptizat: Flauius verò vlterius ad Sacerdotium promoueri deſiderans, etſi nondum Confirmatus, nec alijs Ordinibus inſignitus, fingens ſe eſſe alium, ab Epiſcopo inaduertenter ad Presbyteratum promouetur.

Quæritur primò An Flauius validè baptizauerit Eliam tali forma, & caſu.

Secundò An Elias potuerit inuitis Parentibus baptizari tàm à Flauio, quàm à Parocho.

Tertiò An Parochus licitè baptizauerit Eliam ſine conditione.

Quartò An Parochus peccauerit proijciendo puerum in flumen, & ſit factus irregularis.

Quintò An Parochus peccauerit baptizando Flauium aquâ putei.

Sextò An Flauio obſtet vna, an plures irregularitates, nè poſſit ad Ordines promoueri, & quænam ſint.

Septimò An Flauius peccauerit, & quas pœnas incurrerit antè Confirmationem, & Ordines, ſe intrudendo Presbyteratui.

Octauò An verè Ordinē, & Characterē Presbyteratus receperit.

MEN-

Digitized by Google

MENSE IANVARIO
1704.

GAinas Capellanus Parochi infirmi, ipſo Parocho inuito miniſtrat Extremam Vnctionem Paulo ægroto, vngens eum inaduertenter Oleo Cathecumenorum. Epiſcopo quoque Confirmationem miniſtranti prębet ſimili inaduertentiâ Oleum Infirmorum: Vtriuſque autem Vnctionis errore detecto, cùm iam Epiſcopus receſſerit, Gainas ad ſupplendum defectum vngit pueros confirmatos Chriſmate, proferens verba ſolitâ formæ; mox vngit Paulum Oleo infirmorum, dicens *Per iſtam, &c.* quidquid *dereliquiſti*. Hoc cum Parentes infirmi aduertant, grauibus minis cogunt Gainam ad repetendam vnctionem eàdem die; quod & Gainas territus facit; ſed, vncto primo Senſu; Paulus moritur; Gainas verò proſequitur, & vngit etiam reliquos ſenſus.

Quæritur primò An Gainas peccauerit miniſtrando Extremam Vnctionem, inuito Parocho.

Secundò An fuerit validum Sacramentum Extremæ Vnctionis Oleo Cathecumenorum, & Confirmationis Oleo Infirmorum.

Tertiò An peccauerit Gainas vngendo Chriſmate pueros, & confecerit Sacramentum.

Quartò An fuerit validum ſecundum Sacramentum Extremæ Vnctionis cum defectu in formà, vt in caſu.

Quintò An, & quot peccata commiſerint Parentes infirmi cogendo Gainam ad repetendam Vnctionem, & Gainas nedum eam repetens, ſed & eàdem die repetens.

Sextò An in vnctione primi Senſus Paulus potuerit recipere Sacramentum, & Gainas peccauerit grauiter, proſequendo Vnctionem.

Septimò In quà Vnctione Paulus receperit effectum Sacramenti,

Digitized by Google

menti, in primâ, in ſecundâ, aut in tertiâ; an in omnibus.

Octauò An pueri receperint Sacramentum, & effectum Confirmationis in Vnctione Epiſcopi, an in Vnctione Gainæ, an in vtràque, an in neutrà.

MENSE FEBRVARIO

Horatius dubitans an emiſerit Votum Caſtitatis, ſciens tamen certò ſe vouiſſe non nubere, ducit in Vxorem Bertam Viduam; indè habet rem cum Flauia Sorore Sempronij primi Mariti Bertæ; cui Bertæ quadam die omnia hæc reuelat: Veniente autem Iubilæo, de his confitetur Caio Confeſſario, ſed excommunicato occulto, petitque diſpenſari, & abſolui: aſt in illà Confeſſione obliuiſcitur peccati reſeruati, & excommunicationis contractæ, pariter reſeruatæ; Veruntamen à Caio abſoluitur his verbis: *Abſoluo te à peccatis tuis*; Tranſacto verò Iubilæo, recordatus dicti peccati reſeruati, & Excommunicationis, de illis confitetur Mauritio Confeſſario non habenti facultatem reſeruatorum, à quo tamen abſoluitur.

Quæritur primò An Horatius peccauerit contrahendo Matrimonium cum dubio Voti Caſtitatis, & certitudine Voti de non nubendo, ſitque validum Matrimonium.

Secundò An habens rem cum Flauià contraxerit affinitatem cum Berta, & poſſit petere debitum.

Tertiò An Berta de omnibus prædictis facta conſcia poſſit licitè reddere debitum.

Quartò An Caius validè abſoluerit, & an potuerit diſpenſare Horatium.

Quintò An Caius vtendo verbis formæ, vt in caſu, de facto diſpenſauerit Horatium.

Sextò An per Confeſſionem factam Caio ablata ſit reſerua-

tio

Digitized by Google

tio de peccatis oblitis?
Septimò An verbis à Caio prolatis fuerit ablata reſeruatio excommunicationis oblitæ.
Octauò An Mauritius validè, & licitè abſoluerit Horatium?

MENSE MARTIO

ISacius deuotione motus donat omnia ſua Monaſterio donatione inter viuos, mox facti pœnitens, vt per ſuperuenientiam Filiorum Donatio irritetur, contrahit Sponſalia cum Liliâ, cui & Dotem promittit, ſed hanc exoſam habens, celebrat, & conſumat Matrimonium cum Syluia Hebræa, quam putabat eſſe Chriſtianam, ex eàque ſuſcipit Filiam: errore detecto, ſcienter contrahit cum Aureliâ ſibi conſanguinea in quarto gradu, à qua naſcuntur Filij; ſed Aureliam quoque odioſam habens, init Sponſalia cum Flaminiâ, quæ cum publicarentur in Eccleſia, tàm Lilia, quàm Syluia, & Aurelia reclamant, vnaquæque prætendens præferri debere in Matrimonio; Iſacius verò ad eas omnes eludendas, ingreditur Religionem approbatam, in ea profitetur, & Ordines ſuſcipit ſine alia diſpenſatione.

Quæritur primò An peccauerit contrahendo Matrimonium, vt Donationem per ſuperuenientiam Filiorum irritaret, & teneatur ad reſtitutionem.
Secundò An peccauerit grauiter contrahendo cum Syluia in præiudicium Liliæ, & nihilominus teneatur dotare Liliam.
Tertiò An teneatur ſtare Matrimonio cum Syluia iam factâ Chriſtianâ, vel cum Aureliâ ſe offerente obtinere diſpenſationem à Conſanguinitate.
Quartò An quatenus neutram teneatur retinere in Vxorem, poſſit ducere Flaminiam in præiudicium Liliæ.

Quintò

Digitized by Google

Quintò Quatenus teneatur ſtare Matrimonio cum Syluià factà Chriſtiana, vel cum Aurelià, quæ òbtinuit diſpenſationem, teneatur manere cum Vxore, & ei debitum reddere, etiam poſtquam factus eſt Religioſus.

Sextò An Monaſterium Donatarium teneatur dotare Filiam Syluiæ, & alere Filios Aureliæ.

Septimò An peccauerit ingrediendo Religionem, & ſit valida profeſſio Iſacij in Religione emiſſa.

Octauò An factà profeſſione peccauerit ſuſcipiendo Ordines ſine diſpenſatione, & poſſit in ijs miniſtrare.

MENSE APRILI

KAlinus Parochus pluries bellico tormento armatus, etſi ſub Suſpenſionis reſeruatæ pœnà id vetitum ſit, extrà Diœceſim procedit, ibique vltrà biduum pernoctat contrà diſpoſitionem Synodalem ſub Suſpenſionis pariter reſeruatæ pœna id vetantem; tandem contrà ſimilis pœnæ Decretum exigit capitale Cenſus Capellæ in eius Eccleſia erectæ, quod in Capſam publicam non deponit contra præceptum id faciendi ſub pœnà Suſpenſionis reſeruatæ, imò Cenſum ipſum in ſuos vſus conuertit, & Miſſas fructibus ipſius Cenſus celebrandas, omittit. Vt ludo autem indulgeat, Officium Diuinum totum ſub media nocte recitat, ac ſemel tantum quolibet Quadrimeſtri confitetur, non petità, nec obtentà abſolutione à Cenſuris, ſi quas vt ſuprà incurrit, quotidie tamen Miſſam hora poſt meridiem celebrat.

Quæritur primò An, & quot ſuſpenſiones incurrerit.

Secundò An in illis celebrans vnam, vel plures irregularitates contraxerit.

Tertiò An ob diſtractionem dicti Cenſus excommunicationem incurrerit, & quam.

Quartò

Quartò An, & qualiter peccet non celebrando Miſſas Cappellæ, & ad quid teneatur.

Quintò An ſatisfaciat præcepto Officij Diuini tali hora, & cauſa.

Sextò An, & qualiter peccet tam rarò confitendo, & an validæ ſint Confeſſiones.

Septimò an, & qualiter peccet tali horà Miſſam celebrans ſine cauſà.

Octauò Quis poſſit à dictis Cenſuris Excommunicationis, & Suſpenſionis abſoluere, & ab Irregularitate diſpenſare.

MENSE MAIO

LEpidus Parochus quotidie, celebratà Miſsà, comedit, & bibit ad exceſſum, mox infrà horam, vel paulò poſt, cibum euomit ex induſtrià in loco immundo, indè rurſum manducat, tum nullà præuià confeſſione, iterum celebrat, iterumque vomitum prouocat, hæcque ferè quotidiè facit, Miſſam Defunctorum ſine paramentis nigri coloris vt plurimum celebrans, in diebus verò Feſtis nec illam celebrans, nec auſcultans, etſi nullo impedimento corporali detentus.

Quæritur primò An peccet mortaliter quoties ſe grauat cibo, itaut cogatur euomere.

Secundo An in tam breui interuallo euomat ſpecies conſecratas, & quo peccato peccet.

Tertiò An ſpeciale peccatum ſit euomere ſuper immunditijs.

Quartò An peccet mortaliter poſt vomitum iterum manducando.

Quinto An peccet mortaliter celebrando in tali ſtatu ſine Confeſſione.

Sextò An teneatur ſub pœnà peccati mortalis abſtinere à

celebratione.

Septimò An, & qualiter peccet, Miſſam Defunctorum ſine paramentis nigri coloris celebrans, vt in Caſu.

Octauò An, & qualiter peccet ob non celebratam, nec auſcultatam in diebus Feſtis Miſſam, & an ad aliquam propter hoc reſtitutionem teneatur.

MENSE IVNIO

Methodius Clericus grauibus minis, & contumelijs affectus à Nereo Patrefamilias propter zelotypiam, ipſum Nereum ſine interuallo vulnerat, à quo & ſtatim vulneratur: Moritur autem Nereus, & à Parocho in Eccleſia ſepelitur, quo facto Silonius Presbyter ad Altare celebrans, admonitus Nereum excommunicatum fuiſſe in ea Eccleſiâ tumulatum, non vult deſiſtere à Celebratione; obtenta intereà à Methodio diſpenſatione à Sacrâ Pœnitentiariâ pro foro Conſcientiæ, inſtat apud Epiſcopum, vt ad Ordines vlteriores promoueatur: Filij autem Nerei petunt ſibi primò reſtitutionem damnorum fieri ob mortem illatam Patri, quod Methodius pandens Confeſſario, hic denegat illi abſolutionem, donec reſtituat.

Quæritur primò An peccauerit Nereus minis, & contumelijs afficiens Methodium.

Secundò An peccauerit Methodius Nereum vulnerans, & ſit factus irregularis, prouocatus, vt in caſu.

Tertiò An peccauerit Nereus Methodium vulnerantem reuulnerans, & ſit excommunicatus.

Quartò An peccauerit Parochus Nereum ſepeliens in Eccleſiâ.

Quintò An Silonius peccauerit non deſiſtendo à Miſsâ.

Sextò An Methodius teneatur ad reſtitutionem ob mortem Nerei, vel poſſit vti compenſatione ob cōtumelias receptas.

Septi-

Septimò An ſtante dictâ diſpenſatione in foro Conſcientiæ poſſit Methodius publicè promoueri.
Octauò An Confeſſarius licitè negauerit abſolutionem.

MENSE IVLIO

NIcephorus Parochus nunquam, vel ferè nunquam Sacro Sermone Populum alloquitur; Nec ad pueros erudiendos Catechiſmum tenet; neque Miſſam, niſi ſolis Feſtis celebrat, eamque pro grege non applicat niſi ſemel in Menſe; Quadam autem die Miſſam celebrans, Hoſtiam conſecratam in Oſtenſorio reponit, & Particulâ de Pyxide ſumptâ ſe communicat; Miſſamque tunc applicat pro homine, quem ſcit eſſe in peccato mortali; Conſulit etiam Vigilio Canonico, qui quotidie celebrare tenetur ratione Cappellaniæ, quam poſſidet, vt vnâ, eàdemque Miſsà dictæ Cappellaniæ, & oneri Miſſæ Conuentualis pro Canonicatu ſatisfaciat. Mordicus etiam, & palam ipſe Nicephorus contendit Presbyterum, qui tenetur hodie ex obligatione celebrare, poſſe differre celebrationem vſque ad Menſem, & eum, qui tenuem eleemoſynam accepit pro Miſſis, poſſe numerum Miſſarum ità reducere, vt adęquent ſtipem vnius Iulij pro qualibet.

Quæritur primò An grauiter peccet non alloquendo Populum Sacro Sermone, nec rudimentis Fidei pueros inſtruendo.

Secundò An peccet, ſolis Feſtis celebrando, & an debito ſuo ſatisfaciat, ſemel tantum in Menſe applicando Sacrificium pro Populo; & quatenus non ſatisfaciat, an teneatur ad reſtitutionem.

Tertiò An peccet mortaliter, & conficiat Sacrificium communicando ſe Particula, vt in Caſu.

Quartò An peccet Miſſam applicando pro homine, quem ſcit eſſe in peccato mortali, & valor Miſſæ tali homini proſit.

Quintò An peccet conſulendo Vigilio, vt in Caſu, & teneatur ad reſtitutionem.

Sextò An Vigilius ſatisfaciat vtrique obligationi vnica Miſsà.

Septimò An vera ſit, vel falſa opinio, poſſe differri celebrationem, vt in Caſu.

Octauè An poſſit Sacerdos minuere numerum Miſſarum, vt in Caſu.

MENSE AVGVSTO

ORontia Virgo famula Ioſiæ, debile ſtipendium pro Seruitute, quam præſtat ſibi dari conſiderans, duos aureos ad ſupplementum ex bonis Domini ſibi ſumit: immo à Filio Ioſiæ blanditijs corrupta, & cum eo aſſiduè concumbens, nedum pretium fornicationis, ſed & ſummam pro Dote de bonis Ioſiæ clam ſurripit: Literas quoque amatorias, & munera defert Amaſio Cleriæ vxoris Ioſiæ, nè domo expellatur, ſed citò reuelat hoc factum ipſi Ioſiæ, qui Vxoris infidelitate auditâ, dat viginti aureos Orontiæ, & alios triginta poſt factum dandos promittit, vt venenum Cleriæ præbeat, quo ab Orontià peracto, Ioſias triginta aureos renuit ipſi dare.

Quæritur primò An Orontia poſſit ſibi accipere aureos ad ſupplementum Salarij.

Secundò An, & quo peccato peccauerit Filius Ioſiæ corrumpens Orontiam.

Tertiò An Orontia poſſit ſumere, & retinere pretium fornica-

nicationis cum Filio prædicto, & vlterius ſummam pro Dote à Ioſia ſurripere.

Quartò An famula peccauerit, & teneatur ad reſtitutionem ferendo litteras, & munera Amaſio Cleriæ nè domo expellatur.

Quintò An peccauerit, & teneatur ad reſtitutionem detegendo Ioſiæ crimen vxoris.

Sextò An, & quot peccata commiſerit Ioſias præbendo venenum Cleriæ.

Septimò An Orontia poſſit ſibi retinere viginti aureos antè veneni propinationem acceptos.

Octauò An peccet mortaliter Ioſias renuens ſoluere triginta aureos promiſſos poſt factum Orontiæ, & hæc poſſit illos clam ſurripere.

MENSE SEPTEMBRI

POlycrates Presbyter dat Iaſoni indigenti decem Iulios, & apocam accipit dicentem, dediſſe modium tritici, reddendum poſt ſex Menſes; quo tempore triticum valet quindecim iulijs; In Meſſe verò, cùm valeat ſolùm ſex iulijs, nec habeat Iaſon modium tritici reddendum Polycrati, mutat apocam, & confitetur ſe accepiſſe duos modios cum dimidio, ſoluendos poſt ſex Menſes, quo tempore valet decem Iulijs. In Nundinis quoque Polycrates, miſſo Victorio, qui clam iuga bouum emat ſuo nomine, ipſe boues æſtimat viliori pretio: Creditum quoque triginta ſcutorum, quod, factà diligentià, eſt exigibile, emit pro viginti ſcutis: Et cum Portius non habeat viginti quinque aureos, quos ei debet, Polycrates eum adigit ſibi dare ad fruendum pro fructibus dictorum viginti quinque aureorum prædium valoris ſeptuaginta ſcutorum, de quibus omnibus quandoque redarguitur à Confeſſario huiuſmo-

di Contractuum conſcio , & ei negatur abſolutio , ſed Polycrates renuit talia ſubijcere Confeſſioni , tanquam rectè facta ; immo ſine ſcrupulo quotidie celebrat.

Quæritur primò An Polycrates commiſerit vſuram accipiendo , & Iaſon faciendo apocam vnius modij tritici , cum traditio ſit decem iuliorum.

Secundò An commiſerit vſuram , & teneatur ad reſtitutionem exigendo pretium , quo triticum valebit poſt ſex menſes.

Tertiò An ſit reus vſuræ , & teneatur ad reſtitutionem ob mutatam apocam in duos modios cum dimidio , & pretium exactum.

Quartò An Polycrates , & Victorius peccent , & teneantur ad reſtitutionem , alter æſtimando , alter clam emendo boues pro æſtimante.

Quintò An Polycrates peccet , & teneatur ad reſtitutionem emendo Creditum triginta ſcutorum pro viginti ; vt in Caſu.

Sextò An poſſit tuta Conſcientia percipere fructus crediti, quod habet cum Portio , & teneatur ad reſtitutionem fructuum prędij accepti ab ipſo Portio.

Septimò An Confeſſarius poſſit , ac teneatur denegare abſolutionem Polycrati , donec deſiſtat ab huiuſmodi Contractibus , & reſtituat.

Octauò An Polycrates incurrerit pœnas vſurariorum , ſitque factus infamis , & ideò irregularis , ac celebrando quotidie committat Sacrilegium.

MENSE OCTOBRI

QVirinus Presbyter , & Beneficio inſignitus , ità feſtinanter recitat Officium Diuinum , vt verba ſincopet, ſæpeque non recordetur , an pſalmos recitauerit : Miſſam

etiam

etiam celebrat ſemper antè Matutinum, & Laudes, ſinè vlla cauſâ: Cęremonias confundit, aliqua verba in Secretis ommittit, alia præponit, vel poſtponit: Pſalmos quoque ad præparationem Miſſæ, & gratiarum actionem in Miſſali deſignatos, nunquam recitat; duos pſalmos, vt plurimum in Matutino, quandoque vnum in Veſperis, quandoque Hymnum ad Tertiam relinquit, & totum officium vel ſerò, vel propè mediam noctem, ſemper recitat: Quadam die Officium non ex deuotione recitauit, ſed vt metum Superioris euaderet; aliâ die, loco Officij de feriâ ſcienter recitauit de Sancto, & ferè ſemper dum recitat Horas, Veſperas, & Completorium, aliquid manuale facit; modò ſuendo, modo incidendo, modò aliud agendo: Interrumpere quoque ſolet Horas, & non rarò eas confabulando perſoluere; Cùm per menſem fuiſſet excommunicatus, & cum per quinquennium ad triremes eſſet damnatus, in eis commorans nunquam officium recitauit: Etriremibus tandem eductus, & iam ſenio confectus, debilitatem mentis ſe pati ſupponens, Miſſam celebrat, ſed officium nec totum, nec in parte perſoluit.

Quæritur primò An Quirinus peccet mortaliter ſincopando verba, & ità feſtinando, vt non recordetur Pſalmorum; & teneatur ad reſtitutionem fructuum Beneficij, & cui.

Secundò An Miſſam celebrans *ſemper, & ſine cauſa* antè Matutinum, & Laudes, nunquam etiam præparationis, & gratiarum actionis Pſalmos recitando, cùm poſſit, peccet mortaliter.

Tertiò An confundendo Cæremonias Miſſæ - Verba in Secretis ommittendo, anticipando, vel poſtponendo, poſſit ſine peccato mortali celebrare.

Quarto An duos Pſalmos in Matutino, vnum in Veſperis, & Hymnum ad Tertiam ommittendo, peccet mortaliter,

taliter, & teneatur ad reſtitutionem, & cui.
Quintò An ſatis fecerit præcepto, recitando Officium ex metu, & loco Officij de feriâ recitando ſcienter de Sancto.
Sextò An peccet mortaliter *ſemper*, *& ſine causâ* differendo recitationem ad noctem, interrumpendo Horas, confabulando, & aliquid manuale agendo.
Septimò An tempore excommunicationis, & dum eſſet in triremibus teneretur ad recitationem Officij ſub peccato mortali.
Octauò An ſenio confectus, vt in caſu, peccet omittendo totum, vel partem Officij.

MENSE NOVEMBRI

RENatus Parochus excommunicatus conſecrat poſt Veſperas Hoſtiam de Segalà confectam, cum aliam non habeat, vt communicet infirmum, grauiter decumbentem; cui infirmo dum Hoſtiam defert, Hebræum indè tranſeuntem, & nullum exhibentem Communioni reuerentiæ ſignum, pugno percutit, à quo ſtatim fuiſſe repercutitur; Renatus proindè Satellites vocat, qui Hebræum ab Eccleſiâ, ad quam confugerat extrahunt, & nummis ſpoliant, ac tandem, Renato inſtante, Hebræus ad triremes à Iudice damnatur.
Quæritur primò An liceat Renato conſecrare in tali ſtatu, tàli horâ, & tali fine prout in Caſu.
Secundò An licitè conſecret Hoſtiam de Segalà in tali Caſu.
Tertiò An infirmus licitè talem Communionem ſumat à Renato.
Quartò An Renatus mortaliter peccet percutiendo Hebræum, vt in Caſu.

Quin-

Quintò An Hebræus peccet, & ſit excommunicatus repercutiendo Renatum.

Sextò An Satellites peccent extrahendo Hebræum ab Eccleſiâ.

Septimò An Renatus teneatur ad reſtitutionem de nummis Hebræo ablatis, & damnis paſſis.

Octauò An Renatus inſtans, & Iudex condemnans Hebræum peccent, & contrà quam Virtutem.

MENSE DECEMBRI

SOſipater Laicus in die Natiuitatis Domini ter communicat, mox, ſuperueniente Infidelium incurſu, eodem die poſt prandium Euchariſtiam in Tabernaculo cuſtoditam, conſumit, præſente Satyro Presbytero, ſed contemnente particulas conſumere; Circa Veſperas poſtmodum idem Soſipater lethali morbo correptus, & iam Morti proximus, Viaticum petit, quod & ei à Parocho, prædictorum omnium conſcio, miniſtratur. Parochus deindè Viaticum defert Euthimio carcerato ad mortem damnato, qui Euthimius manu Pyxidem arripiens, ac ſtrictam tenens, clamat ſe Immunitate gaudere, ideòque liberandum eſſe. His auditis Iudex per vim compellit Parochum abire, ac Pyxidem auferre: Vicarius verò Epiſcopi trinà excommunicatione Iudicem ipſum ferit, vna ſcilicet propter læſam Immunitatem, alia propter vim Euchariſtiæ allatam, tertià propter violentiam Parocho factam, qui Parochus demum ad Eccleſiam reuerſus, Communionem præbet Coſmæ confeſſo, ac ieiuno, illà horà communicari ex deuotione petenti.

Quæritur primò An grauiter peccauerit, vel benè egerit Soſipater ter in die Natiuitatis communicando.

Secundò An grauiter peccauerit, vel benè egerit conſumendo

mendo Euchariſtiam coram Satyro, vt in Caſu.

Tertiò An, & quot peccata commiſerit Satyrus contemnendo Euchariſtiam conſumere, vt in Caſu.

Quartò An Soſipater potuerit, vel debuerit Viaticum tali die ſumere, & Parochus miniſtrare.

Quintò An Euthimius gauderet Immunitate Eccleſiaſtica.

Sextò An peccauerit Iudex, vi expellendo Parochum.

Septimò An prædictæ Excommunicationes latæ contrà Iudicem fuerint validę, an vna tantùm, an duæ, an nulla.

Octauò An Parochus illa hora communicans, & Coſmus Euchariſtiam ſumens peccauerint mortaliter.

FINIS.

Carolus Tonſius Subd. Cong. Caſuum Cenſ. Secr.

Digitized by Google